



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXII. De Clericis Peregrinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

18. Excipiendus tamen est casus, quò hæc, sicut & n. 8. relata, & non ex defectu significationis Sacramenti, sed affectu intentionis pravò opere subsécuto orta bigamia Interpretativa occulta est; cum enim Episcopus in omnibus ex delicto occulto, præterquam ex homicidio voluntario, provenientius & ad forum contentiosum non deducis irregularitatibus dispensare valeat, ex decreto Concilii Trident. Sess. 24. cap. 6. de Reformat. etiam in proposita bigamiæ irregularitate, quando ea occulta est, dispensare valebit, cit. Sanchez n. 23. Palao n. 8. & 20. & Barbosa n. 25. & 27.

19. Dubium quintò est, an & quam in bigamia dispensandi potestatem habeant Prælati Regulares. Et in bigamia quidem Vera & Interpretativa ad Ordines etiam minores dispensandi potestatem ullam ejusmodi prælati, etiam exemptis, communi Jure non competere, nemo facile inficias ibit. Privilegiò etiam Apostolicò generaliter concessam in irregularitatibus dispensandi potestatem, ad eam quæ ex bigamia Vera vel Interpretativa orta est, non extendi, cum Navarro ad Rubr. de Regular. consil. 84. n. 1. sustinent Rodriquez Tom. 1. Summa cap. 158. conclus. 7. Peyrin. Tom. 2. de Relig. Præl. q. 2. cap. 5. §. 8. n. 99. Barbosa cit. alleg. 49. n. 30. & apud hunc alii, eà permotivatione; quòd In generali concessione

non veniant ea, quæ quò non esset in specie verisimiliter concessurus, ut habet Reg. 81. in 6. in irregularitate autem, orta ex hujusmodi bigamia, contra præceptum Apostolicum dispensandi facultatem in specie concessurus Papa verisimiliter non esset, & si non exprimat, concedere non intelligatur. In Similitudinaria autem Prælati exempti cum subditis suis Regularibus dispensare valent in omnibus casibus, in quibus ejusmodi dispensationes subditis suis diocesanis Episcopi concedunt; cum in illos obtineant jurisdictionem quasi Episcopalem. Ita cit. Suarez 6. n. 16. & 18. Barbosa n. 31. & Pirrhing. 32.

Cæterùm, pro dispensatione in bigamiæ irregularitate supplicans, in impetrationis literis exprimere debet ejus speciem; cum multò difficilius in Vera quàm in Interpretativa, & in hac quàm in Similitudinaria dispensetur. Quod si ab Ordinum susceptione vel usu ex duplici bigamia orta irregularitate impediatur, utraque exprimeanda est: licet, cum supplicans tria vel plura matrimonia contraxit & consummavit, tertium & ulterius exprimi necesse non sit, sed sufficiat, si se verè bigamum, vel irregularitate ex vera bigamia orta teneri exprimat; quòd ullus Juris textus non meminerit trigamiæ, ut cum Navarro ad hanc Rubr. consil. 2. & Henriquez Lib. 2. cap. 6 n. 9. tradunt cit. Sanchez n. 24. & Palao n. 23.

20.

21.



TITVLVS XXII.

De Clericis Peregrinis.

SUMMARIUM.

- 1. His Ordinandis litera Dimissoria
- 2. Et Formata :

- 3. Celebraturus, necessaria etiam sunt Commendatitia
- 4. Accepta à proprio Episcopo :

5. Quis

5. *Qui ex justa causa petentibus, eas,*
6. *Vel saltem Testimoniales dare tene-*
antur.
7. *Literis amissis ordinatio per testes &*
indicia :
8. *Non solum juramentum probanda est:*
9. *Nisi persona sit nota.*
10. *Beneficia extraneis non minus quàm*
indigenis conferenda, suadetur
Jure,
11. *Et ratione.*
12. *Hos illis preferendos, Jure multi-*
plici,
13. *Curia Romana Stylò,*
14. *Praxi & statutis locorum,*
15. *Ratione tergemina,*
16. *Et pro extraneis deductorum solu-*
tione evincitur.

1. **O**rdines quoscunque, & primam etiam Tonsuram peregrinis, qui literis Dimissoriis instructi non sunt, non conferendos, constat ex *c. fin. de Temp. Ordinac. in 6.* & ratio est; ut evitetur periculum, ne Ordinibus indigni promoveantur: quod facile eveniret, si peregrini in locis à patria & propria diocesi remotis &, ubi incogniti sunt, ad Ordines facillè admitterentur, *c. 1. eadem Rubr. in 6.*

2. Ne etiam facillè quisquam per saltum, hoc est, inferiore ordine prætermisso, ad superiorem promoveatur, à peregrinis exhibendæ ordinanti etiam sunt literæ, Ordinum jam susceptorum testes, *c. 1. in fine:* quæ olim Testimoniales, modernò verò Germaniæ saltem nostræ usu, passim *Formate* dicuntur, Laiman *in c. 1. n. 3.* etsi isto *Formatarum* nomine olim venirent literæ Commendatiæ fidelibus, præsertim clericis, discessuris dari solitæ, imò generaliter quæcunque Epistolæ Ecclesiastica, secundum certam formam conscriptæ, teste Laiman *in c. 1. n. 3.*

Iidem clerici peregrini, & ignoti etiam, postquam ritè ordinati sunt, ut ad Divina celebranda & Sacramenta administranda admittantur, instructi esse debent literis, ut ante insinuatum, Commendatiis: quæ non tantum de legitima ordinatione & carentia impedimenti, celebrationi obstantis, sed de moribus etiam & doctrina testimonium præbent Ordinariis locorum, secundum *can. Extraneo 7. dist. 71. c. Tua 3. hic & Decretum S. Synodi Trident. Sess. 23. cap. 16. de Res. nisi horum fides literis Dimissoriis exhibitis fiat.*

Quod adeò verum est, ut Episcopus suæ diocesis Prælati, etiam Regalibus, sub excommunicatione prohibere possit; ne Sacerdotes seculares autem alterius (non sui) Ordinis Regulares peregrinos ad Missas in Ecclesiis inolebendas admittant prius, quam ipse inspectis eorum literis Commendatiis permiserit: etiam si Prælati illi eorumque Ecclesiæ sint exemptæ; quia id agit tanquam delegatus sedis Apostolicæ: ut aliquis non Sacerdos aut à Jure impeditus, temere se ingerat Divinorum celebrationi. Ita Riccio & alii DD. allegant Barbosa *de Officio Episc. alleg. 21. n. 6. Palao Tract. 27. disp. unica, p. 16. n. 2. Laiman in c. Tua cit. n. 3.*

Dubium hic de ejusmodi literarum qualitate oritur ex *c. 1. cit. ex* cujus dispositione saltem quinque Episcoporum chirographis fides faciendæ est, ut peregrinus ad celebrandum admitti possit tanquam ordinatus. Verùm hoc Alexander III. (non IV. ut colligitur ex *c. de hac 8. de Testam. cujus textus pars est Decretalis c. 1. relata*) specialiter statuit de peregrinis ultramarinis, & præcipue de Africanis ac similibus, ex valde longinqua regione advenientibus, ad cavendas fraudes in hoc genere ab eis admittas, & me-

fitò timenda, propter varios errores, quibus illam gentem eo tempore obnoxiam fuisse, conlat ex *can. 1. & seqq. dist. 98.* Unde hodie juxta *cit. cap. 16.* Trident. & *can. 13.* Concilii Calcedonenfis relatum *can. Extraneo cit.* Clericus peregrinus, exhibitis literis non suspectis Episcopi sui Ordinarii, ad celebrandum aut etiam ulteriores Ordines suscipiendos admitti, atque ad beneficia Ecclesiastica promoveri potest, Laiman. *n. 3. cit.*

Dubium secundò est, an Episcopus sacerdotibus & aliis suæ diœcesis clericis, peregrinari vel omnino discedere volentibus & Commendatitias petentibus dare teneatur. Et quidem, si beneficium residendam exigens obtineant, ultra tempus à Jure indultum peregrè abituris, nisi iusta causa subsistat, & idoneus vicarius substituat, negari illas posse, *cit. Barbosa n. 5. & Palao n. 3.* non obcurè supponunt. Eandem cæterorum clericorum rationem esse, suadere videntur *can. Si quis verò 7. q. 1. & can. Non oportet 36. de Consec. dist. 5.* Sed non persuadent; quia, ut taceam, quòd clerici olim pauciores & ferè Ecclesiis suis magis quàm hodie fuerint adstricti, ut observat Laiman *in c. 1. cit. n. 4.* textibus illis in aliis Ecclesiis non recipi & ad suas revocari solummodo jubentur clerici, qui leviter, & Episcopo ejusque literis non requisitis, recedunt. Unde, iis non obstantibus Episcopos ad Commendatitias, peregrinationis vel alia simili, aut etiam domicilii vel diœcesis mutandæ causâ petentibus, dandas teneri, volunt DD. *cit.* ex quibus tamen Laiman salubriter excipit clericos, ob criminis conscientiam vel suspicionem, vel aliam similem causam discedentes; his enim non Commendatitiæ: sed solummodo Testimoniales, fidem quidem facientes Ordinum & immunitatis ab impedimento, à Divinorum celebratione eos

removente; probitatem verò vitæ, morumque integritatem, zelum animarum & similes qualitates non exprimentes, dandæ sunt; ne immèritâ commendatione decepti Ecclesiarum & beneficiorum collatores aut patroni, ipsos facilè ad beneficia, præsertim curata, promoveant & aliis dignioribus præferant, cum fidelium scandalo & periculo animarum.

Dubium tertio est de clericis, qui ordinationis suæ testes literas amiserunt, aut barbaris patriam repentina incurfione invadentibus & occupantibus, profugè eas non potuerunt obtinere. Et quidem, si legitimarum literarum amissionem earumque tenore legitimæ ordinationis fidem factam, per idoneos testes, juxta *c. Olim 12. de Privileg. & Glossam in c. Inter 2. hic V. Per argumenta:* uti etiam, si ipsam ordinationem probent per ejusmodi testes, *c. Tua cit.* vel per alia indicia & argumenta, v.g. per famam & communem reputationem, concurrente decenti conversatione, scientiâ in ordinato requisitâ & similibus *c. Inter cit.* Glossa in *c. Tua cit. V. Per testes:* si, inquam, literarum amissionem & tenorem vel ipsam ordinationem sic probent, vel etiam unius Episcopi notum, vel quinque Episcoporum ignota sigilla Ecclesiastica, saltem aliis indiciis concurrentibus exhibeant, ad Divinorum celebrationem poterunt admitti, ut cum Panormit. *in c. Inter cit. num. 3. & 4.* docent Mascard. *de Probat. conclus. 1 146.* & Barbosa *in c. Inter cit. num. 2.*

Hujusmodi autem probationibus omnino deficientibus, clericatus & Ordinatio legitimè non probatur per solum juramentum; quia hoc in defectum probationis deferri non facilè debet, nisi quando semiplena probatio vel præsumptio quædam stat pro aliquo, *arg. c. fin.*

Bb bb

de Jure

de Jurejurando. Cùm ergo ordinatio, tanquam qualitas omnino extrinseca, non præsumatur, ad eam probandam non sufficit solum juramentum, ut decisum est, *c. Inter cit.* præsertim hominis omnino ignoti aut suspecti, sequæ ad jurandum ultro offerentis, *c. Ex literis 4. De in integ. restit.* Panormit. in *c. Inter cit.* & ibi Laiman n. 1.

9. Dixi autem suprâ Peregrini sive, ut Concilium Tridentinum *cit. cap. 16.* loquitur, *Vagi & ignoti*, epithetis his conjunctis; quia hæcenus tradita de notis non procedunt; hi enim & ferè, qui ex vicinis diocæsisbus adveniunt, ad sacrificium Missæ celebrandum admitti passim solent, quin hujusmodi probationes aut Commendatitiæ vel Testimoniales literæ ab ipsis exhibeantur aut exigantur, ut docet Praxis quotidiana & Zypæus in *Analyti Jur. Pontif. ad hanc Rubr.* observat.

10. Dubium quartò & celebris controversia est, an beneficia Ecclesiastica conferri Jure valeant clericis peregrinis; in utramque enim partem militant non levia argumenta.

Et illa quidem peregrinis & alienigenis non minus, quam indigenis & originariis sive, ut eos aliqui vocant, naturalibus conferenda, evinci videtur Primò rescriptò Innocentii III. *c. Ad decorem 5. de Institut.* suo à Latere legato mandantis, *Quatenus eundem, Patriarcham Constantinopolitanum, moneat, ut viros literatos & alias idoneos, undecunque originem duxerint, in prædictis, Constantinopolitanis Ecclesiis & maximè in majori sanctæ Sophiæ instituere non postponat.* Quò Apostolicò rescriptò quid in rem præsentem luculentius dici aut allegari valeat, non apparet.

11. Secundò; quòd, sicut apud Deum, teste Gentium Apostolo Romano, *cap. 2,*

v. 11. sic & in ejus Ecclesia non sit acceptio personarum, *c. Venerabili 37. de Prob. & dignit.* sed in omni gente, qui timeant Deum & operatur justitiam, acceptus sit, *can. Non loca 4. dist. 40. §. His in p. 1. can. Recurrat 32. q. 4. & c. Ad decorem cit.* atque idcirco ad beneficia Ecclesiastica admitti oporteat clericos, sine ullo loci, originis, patriæ discrimine, *can. Non qui 3. & can. Non loca cit. dist. 40.* dummodo literati, bonis imbuti moribus & apti sint ad Ecclesiastica officia, propter quæ beneficia illa conferuntur, *c. fin. de Rescript. in 6. & l. Generaliter 14. §. 1. C. de Episc. & cleric.*

Tertiò; quòd non deceat Sacrorum Dei jure hæreditario deserti considerari, *can. Apostolica 8. q. 1. & c. Ad decorem cit.* sic autem beneficia detentur ac possidentur, si ea certa tantum natio sibi vindicaret, & extranei, quantumvis virtute, divinarum humanarumque rerum scientiâ excellentes, excluderentur, ut proinde meritò statuta, ad beneficia officia Ecclesiastica solos indigenas & Originarios admittentia, tanquam ambitiosa & sacris canonibus inimica vitanda ac valore destituta, cum S. Antonino *tit. 1. cap. 20. §. 1. Majore in 4. dist. 14. q. 9. ad 1. & Gabriele in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. dub. 1.* reprobent plures rescripta Barbosa in *c. Ad decorem cit. n. 4.*

Hæc tamen, etsi minimè levia sint, extraneos in beneficiorum collatione indigenis & Originariis æquiparandos, multo minus evincunt; cum hos illis cum Panormit. in *c. Bona 4. de Postul. prælat. n. 16.* indubitatè præferant Rebuffius de *Nominat. q. 9. n. 48. Selua p. 3. de Benef. cap. 26. à n. 2.* Lambertinus *Lib. 2. de Jure Patron. p. 3. q. 1. art. 4.* Covarruvias *Prætic. cap. 35. n. 5. in fine & cum D. Thoma 2. 2. q. 63. art. 2. ad 4. idem tenent Sotus Lib. 3. de Justitia, q. 1. art. 1. p. 100. §. 1.*

doncl. 9. in fine Azor p. 2. Instit. lib. 6. cap. 4. q. 15. Sanchez Lib. 2. Consl. dub. 8. an. 2. & alii TT. ac JCTi apud Barboſam Decis. Voto 33. n. 11. quòd in collatione illa Originariorum & indigenatum rationem præ extraneis habendam, Regula fit fundata in omni Jure.

In Divino, in temporali & ſpirituali gubernatione his illos apertè præferente verbis, *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non fit frater tuus* Deuteron. cap. 18. v. 15. &, *Prophetam de gente tua & de fratribus ſuſcruabit tibi Dominus Deus tuus*, Deuteron. cap. 18. v. 15. quos textus in rem hanc allegant cit. S. Thomas ad 4. & Sanchez num. 2.

In Eccleſiaſtico, can. *Non emerit* 22. can. *Nullus* 13. & can. *Obitum* 16. diff. 61. quò poſtremò textu Gregorius Papa Barbaro Episcopo reſcribens, *Commonemus* inquit. *ut nullum de alia eligi permittas Eccleſia, niſi forte inter clericos ipſius civitatis nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit inveniri.* Quod etiam habetur c. *Bona cit. §. ſin.* ibi, *Nec vellemus ei præficere alienum & c. Ne pro deſectu* 41. ibi, *Non differat Eccleſiam de perſona ipſius Eccleſia vel alterius, ſi digna non reperiat in illa, canonicè ordinare.* Quantumvis autem his textibus ſermo fit de Episcopis, rationem tamen hac in re eandem, idèmq; Jus de cæteris beneficiatis eſſe, cum Panormit. cit. n. 4. & aliis obſervat Barboſa Voto cit. n. 4. & liquet ex can. 8. diff. 71. ubi relatus S. Auguſtinus *Hortamur*, inquit, *juxta Sanctorum sanonum inſtituta, ut in Eccleſiis à vobis fundatis aliunde veniens clericus non recipiatur & ex Cancell. Apoſtol. Regula* 16. quæ eſt *De concurrentibus in Data*, & ſtatuit. *ut ex talibus, cæteris paribus, Oriundus non oriundo ex loco, diceſanus non diceſano præferatur.*

In Imperiali, cui inſertum Arcadii & Honorii Imp. ad Eutyſchianum Pp. reſcriptum eſt, *In Eccleſiis clerici non ex alia poſſeſſione vel vico, ſed ex ea, ubi Eccleſiam eſſe conſtiterit, ordinentur*, l. *In Eccleſiis* 11. C. de Episc. & cleric. quem textum de beneficiorum collationibus ac provisionibus cum Baldo ibi n. 1. exaudiunt Covarruvias cit. n. 5. Gonzalez ad Reg. 8. Gloſſ. 9. §. 1. n. 37. & Garcia p. 7. de Benef. cap. 9. n. 5.

In ſtylo Curie Romanæ, quò gratia 13. Apoſtolica, ab extraneo ſuper beneficio in partibus alienis impetrata ſine loci originis ſeu diceceſis mentione, pro ſubreptitia & nulla habetur, Gloſſa ſin. in c. *Si proponente* 42. de Reſcript. Panormit. ibid. n. 3. Felinus in c. *Sicut tuus* 33. de Simonia, cit. Selua n. 5. & Garcia n. 16. Ratio eſt; quia in dubio Papa clerico providere intendit de beneficio in ſua patria vel diceceſi: & ſi in literis impetrationis expreſſum fuiſſet, beneficium in partibus alienis ſitum, id reſpicientem gratiam vel omnino non, vel non facile conceſſiſſet, arg. c. *Bona cit.* ibi, *Nec vellemus ei præficere alienum.*

In Conſuetudine ac Statutis Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ aliorumque regnorum ac provinciarum, peregrinos & alienigenas ad dignitates ac beneficia ſua non admittentium, apud Gonzalez in c. *ſin hinc* n. 5. In Germaniæ quoque noſtræ Conſtantiënſi Episcopatu extat ſtatutum & conſuetudo, cujus vigore in Eccleſiæ Cathedralis canonicum nemo recipitur, niſi oriundus ſit ex provincia Moguntina, in qua Episcopatus ille exiſtit, apud Pirrhing ad Rubr. de Preb. & dignit. n. 13. cujusmodi ſtatuta, qua ratione impugnari valeant, non apparet; cum non divertant à Jure communi, & aliena non ſint à recta ratione.

Imò in Ratione multiplici ſunt fun- 15
Bb bb 2 data

data; quia in primis beneficia fundata præsumuntur de bonis ejus nationis, & fere incolarum ejus loci, in quo sunt sita: æquitas autem dicitur, & gratitudinis ratio exposcit, ut in beneficiorum collatione præferantur ii, de quorum bonis sunt fundata. Deinde; quia indigenæ ob amorem patriæ facilius inducuntur ad residentiam, rerumque Ecclesiæ administrationem majori sollicitudine gerunt; cum unusquisque propensiores curam habeat rerum propriæ civitatis & Ecclesiæ, in qua natus atque educatus est, quam extraneæ. Demum; quia propter indolis morumque similitudinem atque idiomatis peritiam plerumque præ extraneis accepti sunt inquilini: qui ægrè admodum ferre ac videre solent, patriæ stipendia, oblationes, decimas aliisque laborum suorum fructus obvenire alienigenis, qui bona, ex beneficiorum suorum proventibus comparata, ex loco & provincia sua extrahere consueverunt.

16. Neque resolutionem hanc, ut primò occurru appareret, ullatenus convellit rescriptum Innocentii *c. Ad decorem cit.* quia, ut *ibi* Gloffa *V. Undecunque* notat, in *c. cit.* casu super Ecclesiarum Constantinopolitanarum beneficiis lis agitata fuit inter meros extraneos, Gallos, qui eo tempore Orientis imperium tenebant, & Venetos atque istius nationis Patriarcham: qui, cum ex pactione cum Reipublicæ Venetæ magistratibus inita in Urbis Constantinopolitanæ Ecclesiis, & præcipuè sanctæ Sophiæ, clericos solius Venetæ nationis &, qui continuo decennio Venetiis habitassent, institueret, Gallis aliisque eorum subditis exclusis, ut ex Bosqueto refert Gonzalez *in c. cit. n. 3.* ab Innocentio III. pactioem illam, quòd dispositionis & successiois hæreditariæ speciem referret, reprobante reprehensus monitusque fuit; *ut in Ecclesiis illis instituat viros li-*

veratos & alias idoneos, undecunque originem duxerint, nullâ indigenarum sive Constantinopoli oriundorum factâ mentione, procul dubio; quòd tales tanquam minus idoneos in illis inflitui non expediret, propter antecedentes eosque per frequentes prolapsus ac propensionem in Schisma; quò Ecclesia Orientalis sive Græca ab Occidentali sive Latina & communium aliarum Matre Romana multoties avulsa fuit & futuræ avulsiois periculum terrorum literatorum & aliis idoneorum extraneorum, undecunque Venetiis, et Francia aut nationibus aliis originem dicerent, institutione removebatur. Quò modò acceptum rescriptum Innocentianum in concordiam reducitur cum *can. Nullus can. Obitum & c. Ne pro defuncto cit.* locum extraneis clericis tum demum facientibus, quando in Ecclesia vel civitate idonei non reperiuntur.

Neque asserta indigenarum prælatio infecta est vitio acceptiois portionarum & hæreditariæ successiois. Prioris; cum hoc ipso, quòd ex duobus quoad literarum scientiam & dotes aliis partibus, indigenam multò aptiorem esse, et deducta non una ratione liquet, quæ prælatio vitio illò non laborat, *Sanctæ cit. dub. 8. n. 11.* & Gonzalez *in c. præc. n. 7.* Posterioris; cum propter eandem rationem: tum verò; quia præ extraneis beneficia indigenis conferuntur non, ut *c. Ad decorem cit.* ex pactioem Patriarchæ Constantinopolitano super Ecclesiis & beneficiis Ecclesiasticis patet, inde ut de rebus patrimonialibus inita: sed quòd indigenæ extraneis sint aptiores.

